

nere substantiæ, et sic non sunt infinita; tum denique, quia si sunt infinita omnia contraria erunt principia, quod est falsum, quia multa contraria sunt ex aliis prioribus, ut dulce et amarum ex calido et sicco, et sic non sunt prima principia: repugnat ergo esse prima principia, et esse infinita: infinitum enim complectitur omnia. Secundo, ostendit principia non posse esse tantum duo, quia principia sunt contraria inter se: ergo oportet dari aliquid tertium, in quo subjectentur, et circa quod exerceant oppositionem, et sic plusquam duo principia esse debent. Tertio, ostendit non esse plus quam tria, quia sufficientur duo contraria, et unum subjectum, ut ex contrariis dicatur aliquid fieri: ergo non est necesse plura ponere, quam subjectum et formam, et contrarium formæ, quod est privatio. Et ad hoc plures alias rationes congerit.

Summa capituli VII.

In capite septimo determinate resolvit veritatem, et primo procedit ab ipsa generatione seu fieri rei ostendendo, quod ad illud tria requiruntur, scilicet subjectum ex quo aliquid fit, oppositum unde fit, et terminus, qui de novo fit: et quidem dari terminum, manifestissimum est, cum videamus res fieri de novo, quod vero fiat ex subjecto, et privatione constat, quia in omni fieri aliquid permanet, scilicet quod fit de novo, et aliquid non permanet, scilicet id quod antea erat, ergo requirit privationem illius, quod antea erat, et positionem hujus quod modo fit, et quia fit ex aliquo non ex nihilo, cum ex nihilo nihil fiat, sequitur ut ad fieri requirantur tria, subjectum, forma, et oppositum formæ, scilicet privatio. Secundo, col-

ligit ex his principiis rerum naturalium, duo distincta esse inter se, et per se requisita, ex quibus scilicet, res ipsa constat, scilicet materia et forma, in hæc enim resolvitur unumquodque tanquam in partes componentes. Aliud principium requiritur ratione distinctum, scilicet privatio, et dicitur principium per accidens respectu ejus quod de novo fit, sicut hominis musici per se est causa homo et musica, sed quod antea fuerit non musicus per accidens est ad constitutionem ipsius hominis musici.

Summa capituli VIII.

In capite octavo excludit errores antiquorum circa materiam, et in capite nono errores circa privationem. Etenim ex ignorantia materiæ antiqui tollebant generationem substantialem, et solum accidentalem admittent: ducti ea ratione, quia nihil potest fieri simpliciter seu substantialiter, neque ex ente, neque ex non ente: non ex ente, quia si jam est, non sit: non ex non ente, quia ex nihilo nihil fit: ostendit autem Philosophus ipsos non distinxisse inter ens in potentia, et in actu: ex ente enim in potentia fit ens in actu, et hoc ens in potentia est materia, quæ neque est nihil, neque est illud ens in actu quod fit, sed est ens in potentia ad illas formas, quæ in illa de novo educuntur.

Summa capituli IX.

In capite nono et ultimo excludit errores, qui apud antiquos circa privationem irreperant; licet enim aliqui antiqui materiam dari fateantur, tamen privationem non distinguebant ab illa, et ita dicebant

materium esse non ens, quia videbant eam privatam omni forma: et sic dicebant aliquid fieri ex non ente, quia fiebat ex materia. Et in hoc fuit inductus Plato, ex ratione Parmenidis, quia quidquid est præter ens, est non ens, materia est præter ens, cum non sit ens actu, ergo non est ens, et sic non distinguebat inter materiam, et privationem; Aristoteles autem ostendit materiam non esse quidem ens actu, nec tamen esse privationem, sed

ens in potentia, quia privatio non appetit formam, neque est in potentia ad formam, sed illi opponitur, eamque destruit: materia autem simul est cum forma recipiendo illam, et componendo ipsum totum: non est ergo idem privatio quod materia, licet materiæ insit privatio quando non habet formam, unde definit materiam, quod est primum subjectum, ex quo aliquid fit cum insit non secundum accidens.

SUMMA SECUNDI LIBRI.

Liber iste in duas partes dividitur. In prima tractat de natura. In secunda de causis. Et habent ista duo inter se connexionem, quia natura definitur per modum principii, et causæ motus, ideoque necesse fuit investigare causas, tractando de natura.

Igitur de natura agit Aristoteles duobus primis capitibus, de causis vero in reliquis septem.

Summa capituli I.

In hoc capite duofacit Philosophus Primo, investigat quid sit natura. Secundo, ostendit quibus conveniat ratio naturæ. Circa primum ponit unam divisionem, et tres definitiones. Divisio est: eorum, quæ sunt, quædam sunt a natura, quædam ab aliis causis, scilicet ab arte, vel a casu. A natura sunt animalia, partes ipsorum, plantæ et corpora similia. Ab arte, ut vestis, lectica, et similia, inter quæ hoc intercedit discrimen; quod ea quæ sunt a natura, per se habent principium alterationis; quæ vero ab arte, non habent per se mutationis principium, sed per accidens; quatenus

constat aliqua substantia naturalis, verbi gratia, lapide, vel ferro. Definitiones sunt tres. Prima ipsius naturæ, quæ definitur non per aliquid absolutum, sed per habitudinem principii. Natura est principium motus, et quietis jus, in quo est primo et per se, et non secundum accidens. Secunda definitio est rerum naturalium. Naturalia dicuntur illa, quæ habent in se ipsis principium sui motus. Tertia definitio est eorum, quæ dicuntur secundum naturam. Secundum naturam dicuntur tam subjecta quorum esse est a natura, quam accidentia, et affectiones eis convenientes.

Circa secundum dicit, quod definitio naturæ convenit materiæ, et formæ. Materiæ quidem non sicut antiqui Philosophi, qui non agnoscant materiam esse puram potentiam, sed aliquid corpus in actu, puta terra vel aqua, aut quid simile, ad quam omnes formæ comparantur tanquam accidentia. Sed Philosophus docet, quod materia prima est natura tanquam principium intrinsecam compositionem rei naturalis: et secundo, quod etiam forma est natura, quia ex ipsa est species, et ratio naturæ, idque rationi-

bus tribus probat, quæ in textu claresunt.

Summa capituli II.

Ut magis elucescat quid sit natura, et naturalia, distinguit inter Physicam, et Mathematicam, et obiectum unius et alterius, et facit duo. Primo, ostendit distinctionem Mathematicæ a Physica. Secundo, declarat extensionem obiecti Physicæ.

Circa primum proposita prius ratione dubitandi, quia Physica agit etiam de obiecto Mathematicæ, scilicet de quantitate, et indivisibilibus, et specialiter de figura, et aspectu cæli, de quo etiam agit Astrologia, solvit difficultatem positam ostendendo, quod aliter considerat Mathematicus quantitatem aliter, Physicus enim ut subjectam motui, et sensui, Mathematicus autem ut abstrahens a motu et sensu, quæ abstractio non est falsa, quia abstractum non est mendacium, sed asserentium. Quod vero sic considerent Mathematicus, et Physicus idem obiectum ostendit duplici ratione; tum ex diversis definitionibus, seu diverso modo definiendi utriusque; tum ex eo quod dantur quædam scientiæ mediæ inter naturales, et mathematicas, sicut Astrologia, Perspectiva, Musica, etc. quæ ea quæ Mathematicus considerat abstracte, applicat alicui sensibili, sicut Astrologus considerat figuram in cælo, Perspectivus lineam in visuali, Musica numerum in sonoro: ergo signum est quod Mathematica secundum se abstrahit a materia sensibili, et consequenter a modo scientiæ naturalis.

Circa secundum ostendit Physicam extendi circa materiam, et formam, neque esse duas scientias circa ista duo. Et antiqui quidem non distinguentes materiam primam a

forma substantiali parum, vel nihil attigerunt de forma in scientia naturali. Ostendit autem ad eandem scientiam pertinere agere de materia, et forma, tum exemplo artis, quæ imitatur naturam, eadem enim ars agit de forma, artificiosa, et materia competenti; tum, quia forma est finis materiæ, ad eam enim terminatur omnis mutatio materiæ, eadem autem scientia considerat finem, et quæ sunt ad finem; tum denique, quia materia et forma, se habent correlative, et consequenter sunt simul cognitione. Et sic concludit, quod de formis totaliter separatis a materia non pertinet agere ad Physicum, sed ejus terminus est in anima rationali, quæ est in materia, et separari potest ab illa.

Summa capituli III.

In isto capite incipit secunda pars hujus libri, in qua tractatur de causis. Et procedit Philosophus tali ordine, quod primo agit de manifestis speciebus, et modis causarum in hoc tertio capite. Secundo, de causis minus manifestis, quales sunt causæ per accidens, scilicet casus, et fortuna, de quo in capite IV, V et VI. Tertio, ostendit non esse plures species causarum quam quatuor in capite VII, et tandem duo dubia resolvit circa modum causandi propter finem, et modum causandi ex necessitate in capite VIII et IX.

Igitur in capite tertio tria facit Aristoteles. Primo, proponit necessitatem tractandi hic de causis. Secundo, numerat earum genera. Tertio, numerat diversos earum modos. Quantum ad primum, licet agere de causis ut sic pertineat ad Metaphysicum, quia multæ causæ non pendunt a materia, tamen agere de causis quatenus sunt causæ naturæ,

pertinet ad naturalem, qui resolvit et explicat res per suas causas.

Quoad secundum, genera causarum sunt quatuor, materialis, formalis, efficiens, et finalis. Materialis dicitur, ex qua fit aliquid cum insit. Causa formalis dicitur, species et exemplar, quia causa formalis intinseca dat speciem rei informando; exemplar autem, seu idea efformando. Causa efficiens dicitur id a quo est principium primum motus et quietis, sicut pater est causa filii. Causa finalis est id, cujus gratia aliud fit, sicut sanitas est causa de ambulationis. Ex hoc autem infert Aristoteles tria corollaria. Primum est, quod ejusdem rei contingit esse plures causas per se, sicut statua est causa æs ut materia, artifex ut efficiens, figura ut forma. Secundum est, quod causæ sunt sibi invicem causæ, ut laborare est causa bonæ valetudinis, et bona valetudo est causa laboris. Tertium est, quod idem est causa contrariorum secundum diversa, sicut nauta est causa salvationis navis per præsentiam, et submersionis per absentiam.

Circa tertium, explicat quatuor modos, seu divisiones causarum. Primus est in causam priorem, et posteriorem, id est, remotam, et propinquam, seu universalem, et particularem, et potest esse universalis dupliciter, uno modo per prædicationem, sicut artifex in communi respectu hujus et illius artificis, vel potest esse universalis per causalitatem, ut cælum respectu horum inferiorum, et Deus respectu omnium. Secunda divisio est: alia est causa per se, alia per accidens; per se, a qua per se pendet effectus, ut statua a statuario; per accidens a qua per se non pendet effectus, sed est conjunctum causæ per se operanti, sicut statuario accidit quod sit Polycleetus. Tertia divisio est: causa alia

est in potentia, alia in actu. Quarta divisio: causæ aliæ complexæ, aliæ simplices; complexæ ut si conjungantur causæ per se, et per accidens, ut si dicatur quod Polycleetus statuarius facit statuas: simplices sumendo seorsum unamquamque causam. Et quot modis dicuntur causæ, tot modis dicuntur causata eis correspondentia.

Summa capituli IV.

Agit de causis per accidens, quæ sunt casus, et fortuna, et in hoc capite recenset opiniones antiquorum; in sequenti determinat propriam opinionem quoad fortunam; in sexto quoad differentiam ejus a casu. Igitur de casu, et fortuna fuerunt tres opiniones antiquorum. Prima dicebat, nihil esse casum et fortunam: tum quia omnia habent aliquam causam determinatam, ac proinde nihil fit a casu; tum quia veteres numerando causas non mimerunt fortunam. Secunda opinio in alio extremo dicebat omnia esse a casu non solum in hoc mundo, sed etiam in cælo, quæ fuit opinio Democriti, qui ex consursu casuali atomorum dicebat mundum, et ejus partes esse factas. Tertia opinio Stoicorum dicebat fortunam esse aliquid divinum, et menti nostræ ignotum, ad quod reducebant omnes effectus. Hanc ultimam opinionem non impugnat Aristoteles, tum quia de causa divina non pertinet agere ad Naturalem, sed ad Metaphysicum tum; quia infra impugnanda, ostendendo quod fortuna est causa per accidens, quod non convenit rei divinæ. Primam vero opinionem ex eo improbat, quia etiam antiqui Philosophi non ignoraverunt fortunam et casum nec contradixerunt illis, qui casum et fortunam ponebant: ergo hoc ipso debebant agere

de fortuna et casu, ut ostenderent id esse falsum tum quia quædam posuerunt fieri a casu; et fortuna, sicut Empedocles, qui dixit, quod quando mundus est factus, et ejus partes per litem fuerunt distinctæ, accidit aerem, verbi gratia, in hunc locum se collegisse, et partes animalium sic fortuito coaluisse. Secundam opinionem ex eo improbat, quia videmus multa non a casu fieri, sed ex causis determinatis, ut oliva, et aliæ plantæ ex determinato semine non ex quolibet: quomodo ergo existimandum est quod nobiliores partes mundi, ut cælum, et res sempiternæ sint a casu, et non ex causis determinatis?

Summa capituli V.

Ad tradendum propriam sententiam de fortuna, tria facit Philosophus. Primo, proponit quasdam divisiones eorum, quæ causantur, ut videat sub quo illorum ponatur fortuna. Secundo, definit fortunam. Tertio, docet quomodo verificanda sint ea, quæ de fortuna dici solent. Quantum ad primum ponit tres divisiones ex parte rerum, quæ causantur, et aliam ex parte causarum. Prima divisio est: quædam sunt, quæ semper fiunt, ut ortus solis; quædam frequenter, ut hominem nasci oculatam; quædam in paucioribus, ut hominem nasci cum sex digitis, et hoc ultimum communiter dicitur fieri a fortuna. Secunda divisio: eorum quæ fiunt, quædam fiunt propter finem, quædam fiunt ex proposito, seu electione, alia non.

Ex parte causæ dividit causam ut supra in per se, et per accidens, et dicit causam per se esse finitam, et determinatam, causam autem per accidens indeterminatam et infini-

tam, quia contingit infinita alicui accidere, et aliquando dicitur causa per accidens, ex eo quod accidit causæ, aliquando ex eo quod accidit effectui. Primo modo, ut si dicas: Album ædificat, album enim accidit ædificanti. Secundo modo, ut si dicas: Fodiens invenit thesaurum, accidit enim inventio thesauri fosiioni.

Quoad secundum dicit fortunam contineri sub causa per accidens in his, quæ fiunt propter finem, et sic definitur fortuna. Quod est causa per accidens eorum, quæ fiunt propter aliquid.

Quoad tertium verificatur de fortuna. Primum id quod dicitur quod est ignota, ut asserebant Stoici, quia cum sit causa per accidens, potest in infinitum extendi, infinitum autem est ignotum. Secundo, quod fortuna est nihil, quia causa per accidens habet aliquid per accidens pro effectui, quod simpliciter est non ens. Tertio, quod fortuna est cæca, quia de eo quod est per accidens tanquam de infinito, et indeterminato non datur certa ratio, et visus. Quarto, quod fortuna est bona, vel mala ratione ejus quod accidit bonum, vel malum: et sic dicitur infortunium, quando magnum malum accidit, et infortunium, quando magnum bonum accidit. Denique, fortuna dicitur incerta, quia est causa per accidens.

Summa capituli VI.

Agit de differentia inter casum, et fortunam, et facit tria. Primo, ponit differentiam inter casum, et fortunam, comparando eas inter se. Secundo, comparando ea respectu illorum, quibus conveniunt, et in quibus inveniuntur. Tertio, concludit ad quod genus causæ pertineant casus, et fortuna.

Quoad primum, differentia est inter casum, et fortunam, quia casus magis ample se habet, quam fortuna: omnis enim fortuna est casus, et non e contra. Quod ostendit, quia fortuna non invenitur proprie, nisi in his, qui agunt ex proposito, cuius signum est, quia bona fortuna, vel est felicitas, vel propinqua felicitati: felices enim dicimus bene fortunatos: felicitas autem solum convenit rationali creaturæ. Casus autem etiam in aliis rebus invenitur, sicut dicimus lapidem, vel sedem casu cadere, et sic casus accidit in his quæ fiunt propter finem, si non fiunt causa ejus, quod accidit.

Quoad secundum, constat ex dictis, quibus conveniat casus, et quibus fortuna. Casus enim maxime dicitur in operationibus nature, quando fiunt extra suum finem, ut cum alicui nascitur sextus digitus, et sic casus potest habere causam intrinsicam, scilicet naturam: fortuna vero solum invenitur in his, qui operantur ex proposito.

Quoad tertium, reducit fortunam, et casum ad genus causæ efficientis, seu moventis, per accidens tamen eo quod casus et fortuna, vel convenit his quæ sunt a natura, vel quæ ab intelligentia, quorum utrumque est principium motus. Denique, excludit opinionem, quæ ponebat casum, et fortunam esse causam cæli.

Summa capituli VII.

In hoc capite duo facit Philosophus. Primo, confirmat numerum causarum supra positum, quod sint tantum quatuor causæ. Secundo, ostendit ad Physicum pertinere de omnibus causis agere.

Primum ostendit ex eo, quia propter quid quærit de causa, sed ad

propter quid non responderetur, nisi aliqua dictarum causarum quæ sunt quatuor, ergo non sunt plures. Minor patet, nam propter quid aliquando reducitur in causam formalem, vel definitionem, ut si dicatur propter quid angulus est rectus, responderetur quia constituitur ex linea faciente duos angulos æquales. Aliquando vero redditur causa movens, ut propter quid aliqui pugnaverunt? Quia furati sunt. Aliquando redditur causa finalis, ut cuius causa aliqui pugnant? Ut dominantur. Aliquando materialis, ut propter quid aliquid corruptum est? Quia constabat ex contrariis: tot ergo sunt causæ, quot sunt modi querendi propter quid.

Quoad secundum, ostendit ad Naturalem spectare demonstrare per omnes causas: tum quia aliquando contingit causas convenire in unum, sicut formalis, et finalis potest esse unum, nam forma rei genitæ est finis generantis, et similiter causa movens potest esse ejusdem speciei cum effectui, ut in agentibus univoceis: tum etiam, quia ad Naturalem pertinet agere de omni mobili, et de omni movente, nam si est omnino immobile, non pertinet ad Naturalem, sed ad Metaphysicum. Agendo ergo de omni mobili, quod constat ex materia et forma, et pendet ab aliquo movente oportet agere de causa formali et materiali, et movente, quæ est efficiens. Et quia generatio ipsa, et motus est propter aliquid, forma enim est finis generationis, ideo etiam Naturalis demonstrat per causam finalem. Denique, in calce capituli ponit exemplam demonstrationum naturalium per omnes causas.

Summa capituli VIII.

Tractat in hoc capite Philosophus, utrum natura agat propter finem

occasione accepta ex eo quod dixerat capite præcedenti, Philosophum demonstrare per causam finalem, et quia ex hoc pendet alia difficultas, scilicet quomodo necessitas invenitur in naturalibus, siquidem multi antiquorum negabant naturam agere propter finem, quia omnia eveniunt ex necessitate materiæ, ideo sicut in isto capite agit de fine, ita in sequenti de necessario. In hoc ergo capite tria facit. Primo, proponit antiquorum opinionem, et dubitationem circa hoc. Secundo, improbat eam ostendens naturam agere propter finem. Tertio, fundamentis antiquorum satisfacit.

Quoad primum, dicit antiquos re-duxisse effectus naturales in necessitatem materiæ, et ideo dixerunt non esse necesse reddere rationem propter quid natura faciat, neque quod melius faciat, ut si quæretur, propter quid pluatur. Non est necesse reddere rationem, quod pluatur ut frumentum augeatur, sed pluatur propter dispositionem terræ, e qua sol elevat vapores, et similiter cur animal habeat dentes duros, et acutos. Non est necesse reddere rationem, quod id fiat propter cibi manducationem, sed quia ex tali materia facti sunt, scilicet densa, et dura: inde vero consecutæ sunt illæ utilitates, non tamen propter illas facti sunt.

Quoad secundum, ponit quinque rationes ad probandum, naturam agere propter finem, quæ in textu satis claræ sunt, et res ista satis nota est.

Quoad tertium, excludit tria fundamenta antiquorum, ex quibus movebantur ad negandum, quod natura ageret propter finem. Primo, quia aliquando natura exorbitat, et peccat non consequendo finem, ut patet in generatione monstri. Cui rationi affert instantiam Philosophus, tum quia etiam ars peccat aliquando, et tamen nullus negat, quod ars

agit propter finem; tum quia licet natura aliquando exorbitet a suo fine, tamen de se determinatum ordinem habet in procreandis animalibus, et consequenter determinatum finem. Secundum fundamentum erat, quia ea quæ fiunt naturaliter, fiunt ex causis prioribus, scilicet materia, et agente, non autem ex intentione finis, quia naturali modo fiunt, sed oppositum jam supra est demonstratum, eum natura non sit causa per accidens, sicut fortuna, sed determinatis viis procedat, et consequenter ex determinato fine, nisi aliquid impediatur. Tertium fundamentum erit, quia natura non deliberat, ergo non agit propter finem. Respondet Philosophus quod etiam ars non deliberat, quia habet certas et determinatas rationes operandi, et tamen facit propter finem, scilicet ut mota a fine, non ut movens.

Summa capituli IX.

In hoc capite facit tria. Primo, proponit quæstionem supradictam: an scilicet in naturalibus invenitur necessarium absolute, vel ex suppositione, et dicitur necessitas absoluta, quæ provenit ex causis prioribus, quæ simpliciter necessitant, scilicet materia, et efficiente operante necessario; necessitas autem ex suppositione, est ratione finis, scilicet supposito quod intenditur. Secundo, ponit opinionem antiquorum, qui dicebant, omnia provenire ex necessitate materiæ, ut si dicatur, quod homo habet pedes inferius propter gravitatem humorum, et manus superius propter levitatem. Tertio, determinat veritatem tum absolute, tum comparative assimilando necessitatem rerum naturalium necessitati scientiarum.

Quoad primum, dicit quod in na-

turalibus necessitas sicut in artificialibus provenit ratione materiæ, sed ratio, seu dispositio est ex fine, sicut ad ensem requiritur materia dura, quæ est ferrum, non tamen propter duritiam sic dispositus est ensis, sed propter finem sciendendi: sic natura assumit materiam talem, v. g. duram pro dentibus, mollem pro carnibus, non tamen propter ipsam duritiam, vel molliem determinat talem finem, sed potius propter talem finem assumit talem materiam. Et hinc manet expeditum, quod secundo loco proponit de opinione antiquorum.

Quoad tertium, assimilat necessitatem in generatione naturæ necessitati in scientiis demonstrativis:

tum quantum ad ordinem, tum quantum ad principia quæ necessaria sunt. Quantum ad ordinem quidem, quia ex illo, quod assumitur ut principium, sequitur de necessitate conclusio, finis autem se habet in operativis, sicut principium in speculativis, licet quantum ad ascensionem, finis sit posterior. Unde sicut ex principio disposito sequitur conclusio, sic ex fine intento sequuntur media, sive in operatione artis, sive in generatione naturæ. Quantum ad ipsa principia, quia principium demonstrationis est definitio, et similiter finis pertinere potest ad definitionem in naturalibus: finis enim generationis est forma rei, quam significat definitio.

SUMMA LIBRI III.

In hoc libro de duobus agit Aristoteles, scilicet de motu et infinito, et complectitur totus liber octo capita. De motu agit tribus primis capitibus, de infinito in reliquis. Cur autem de his duobus agat in hoc tertio libro, diximus in principio agendo de ordine istorum librorum.

Summa capituli I.

In hoc capite duo facit Philosophus. Primo, præmittit tres divisiones tanquam quid præsuppositum ad invenendam definitionem motus, quam traditurus est capite secundo. Secundo, ostendit motum cadere in prædictas divisiones.

Circa primum, divisio est triplex. Prima est: ens, aliud est in actu, aliud in potentia. Quæ divisio non distinguit ens per genera, quia in omni genere invenitur actus et po-

tentia. Secunda divisio: ens dividitur per decem prædicamenta, scilicet substantiam, quantitatem, qualitatem et cætera. Tertia divisio: specialiter est in his, quæ se habent ad aliquid, motus enim definitur per ordinem ad mobile: nam relativum aliud est, quod fundatur super abundantiam et defectum, id est, super quantitatem penes majus et minus, aliud quod fundatur super movens et mobile, activum et passivum, de qua divisione plura agit Philosophus v Metaphys. tractans de fundamentis, et divisione relationum.

Circa secundum, ostendit ad quam divisionem ex istis pertinet motus, et dicit duo. Primo, quod motus reducitur seu pertinet ad res, ad quas est motus. Secundum, quod motus dividitur per genera rerum. Ratio primi est, quia motus est quid imperfectum in his generibus, et omne imperfectum reducitur ad suum